



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Disputatio III. De Merito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

non faciet unctum, nec de pignore certificatum: quod autem peccatum sit cum unctione, & pignore, non est magis impossibile, quam quod sit cum sanctitate &c. Dixi. om. maj. nam per illud pignus aliqui intelligunt testimonium bonæ conscientie; alii ipsum Spiritum S. aliqui etiam gratiam, vide Cornelium in 2. Cor. 1. v. 22. & seq. item eundem in epistola ad Ephes. c. 1. v. 13. & seq.

296. Ob. 9. Gratia vocatur in Scripturis lux, & peccatum tenebræ: sed lux, & tenebræ nec metaphysicè possunt simul esse: ergo nec gratia, & peccatum. ant. prob. ad Ephes. 5. v. 8. ait Apostolus: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* &c. 2. Cor. 6. v. 14. *Quæ societas luci ad tenebras?* ergo. Confir. 1. Joan. 3. v. 9. dicitur. *Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex DEO natus est:* sed hoc semen, & hæc natiuitas, est gratia: ergo cum gratia non potest quis peccare, adeoque gratia, & peccatum non simul stant. Resp. dist. ma. & per hoc à Scriptura tantum indicatur inter ista aliqua similitudo. conc. ma. indicatur identitas similitudinis, seu omnimoda paritas. neg. ma. & conc. mi. neg. conf.

Nec peccatum, nec ejus formalis malitia, est tantum pura negatio, ut fuscè probatum tract. de peccat. à n. 27. Neque peccatum, & gratia, contradictoriè opponuntur, ut lux, & tenebræ; cum in statu puræ naturæ utrumque abfuiisset, & ante mundi creationem neutrum fuerit; unde non est inter ista identitas similitudinis, seu omnimoda paritas, sed tantum est aliqua similitudo, quæ stat in eo, quod lux subiectum capax illuminet materialiter, & gratia spiritualiter; quia hæc est splendor quidam, ut ait Catechismus Tridentini cit. n. 265. item, quod gratia in subiecto expedito expellat peccatum, sicut lux tenebras, non tamen omni eodem modo. Sic etiam dicitur gratia vitæ animæ, & peccatum mors, in hoc sensu, quod gratia, si anima sit capax, reddat eam viventem, & excludat mortem, non tamen omnino pari ratione cum vitâ physica; nam, quamvis etiam vitâ physica, & mors, non opponantur contradictoriè (cum ante mundi creationem nec vitâ, nec mors, data fuerit) sed tantum contrariè: opponuntur tamen contrarietate metaphysica; quia mors est negatio vitæ prius existentis, & vitâ cum negatione sui non potest simul dari.

Addendum hæc, quod, ut observat Gormaz, Patres, & Scripturæ has comparationes faciant, non cum gratia præcisivè, sed cum ea ut existente in hac providentia, in qua semper excludit peccatum; nam Apostolus in Epist. ad Ephes. & Cor. semper loquitur de fidelibus, & ad fideles, in hac providentia existentes. Ad confir. conc. totum. Homo, stante gratia, seu in sensu composito, non potest peccare (in sensu divisivo utique posset) non enim potest homo facere miraculum, & gratiam conservare cum peccato; potest autem DEUS, non quidem peccare: sed gratiam, stante peccato, conservare. Nec dicit S. Joannes, hominem non posse etiam de absoluta potentia DEI peccare: sed tantum ait, eum simpliciter id

non posse, quod verissimum est: sicut verissimè dicitur, hominem non posse volare, licet utique supernaturaliter id posset. Plures alias hujus textus explicationes vide apud Gormaz de gratia sanctificante. n. 54. in rem præsentem sufficit ea, quam modò dedimus.

DISPUTATIO III.

De Merito.

297. **P**ost Tractatum de Gratia Theologi tractant de Merito, & quidem aliqui valde copiosè; eo quod plures polemicas controversias misceant: nos, pro more Universitatibus regionum nostrarum consueto, paucioribus materiam hanc circumscribemus. Agemus autem de merito, prout hæc vox actum bonum significat; nam potest quidem meritum sumi indifferenter pro bono, & malo: & S. Augustinus vocabulo isto nonnunquam, præsertim de grat. lib. arb. c. 6. utitur ad denotandum peccatum: attamen communius accipitur in sensu bono; nam peccatum vocatur demeritum: & in hac quoque significatione nos hic agemus de merito, & quidem supernaturali.

QUÆSTIO UNICA.

De Essentia, Existentia, & Proprietatibus Meriti.

ARTICULUS I.

Quid sit, & an detur meritum supernaturale.

298. **D**ico 1. Meritum supernaturale est obsequium DEO factum, ex se potens movere ad retributionem doni supernaturalis: ita Oviedo tract. 9. de merito contrav. 1. puncto 1. n. 4. & in idem recedit definitio P. Gormazij de merito n. 3. atque in hunc sensum Theologi communiter, quin & Patres, atque Concilia, meritum explicant. Accedit etiam ratio; sicut enim in humanis, meritum naturale erga Regem, est obsequium factum Regi, & meritum respectu alterius, etiam est obsequium ei præstitum, potens movere ad remunerationem: ita meritum erga DEUM est obsequium ei præstitum &c.

299. Ut autem opus sit meritorium præmii supernaturalis, debet esse actus etiam supernaturalis, ut habetur ex omnibus illis Scripturis, & Conciliis, ex quibus probatur, quod nullus actus, prout oportet ad salutem, (per quem intelligitur omnis, sive de congruo, sive de condigno, meritorius doni supernaturalis, seu conducens ad salutem) elici possit sine gratia Spiritus S. de quo fuscè tr. de gratia. à n. 38.

si enim viribus naturæ elici nequit, utique supernaturalis est, & Theologicè quidem, utpote conducens ad vitam æternam, & beatitudinem supernaturalem. Nec sufficit tantum actus, extrinsecè supernaturalis, qualis esset, qui eliceretur ab eo, qui instructus gratia auxiliante supernaturali, per actum purè naturalem imple-ret præceptum aliquod positivum naturale.

Nam inprimis dubium est, an in iis occasionibus eliciatur aliquando actus tantum naturalis; id enim Coninck negat; cum enim præcepta naturalia etiam impleri possint per actus supernaturales, videntur in illis circumstantiis per tales impleri. Et cur non influat habitus supernaturalis, si præsens est; cum adsint omnia, cum ad influxum determinantia? aut, si habitus non adsit, e. g. in peccatore, gratia auxiliante supernaturali prævento, omnipotentia Divinæ æquè facile est, supernaturalem concursum præstare, nec ulla est ratio, quare DEUS cum faciente, quod est in se, supernaturaliter non agat: & insuper gratia auxilians concursum supernaturalem connaturaliter exigit. Dixi: gratia auxilians; nam, si tantum adsit gratia habitualis, seu sanctificans, actus neque extrinsecè erit supernaturalis; quia nemo cogitat, quod omnes actus iustorum, quos plurimos faciunt, ex fine purè naturali, sive honesto, sive indifferenti, sint extrinsecè supernaturales.

Verum posito, quod in iis circumstantiis actus naturalis elici posset, saltem non esset meritorius præmii supernaturalis; quia Concilia expressè dicunt, actus, prout oportet ad salutem, elici non posse sine inspiratione Spiritus S.; cum tamen talis actus, ita extrinsecè tantum (ut volunt adversarii) supernaturalis, absolutè sine gratia elici queat. Hinc Gormaz de merito n. 152. ait, etiam operationes Christi, si is actus purè naturales eliciisset, non futuras fuisset meritorias; cum dignitas Personæ non potuisset supplere defectum prædicati intrinseci, scilicet supernaturalitatis requisitæ in merito.

300. Dico 2. Datur verè, & propriè dictum meritum hominis apud DEUM. Ita Catholici omnes contra hæreticos, Lutheri, & Calvinii affectas. Prob. Ecclesiastici 10. v. 15. dicitur: Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. Proverb. 11. v. 18. Seminanti autem iustitiam merces fidelis. Matth. 5. v. 12. Gaudete, & exultate; quoniam merces vestra copiosa est in cælis. 1. Cor. 3. v. 8. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet. Concilium Arausicanum II. can. 18. Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant. Lateranense Oecumenicum sub Innocentio III. cap. 1. de fide Catholica. Ut recipiant secundum merita sua... cum Christo gloriam sempiternam... Per fidem rectam, & operationem bonam placentes DEO ad æternam beatitudinem merentur pervenire. Florentinum in literis Unionis in Decreto de purgatorio, docet, animas, ab omnibus maculis purgatas, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum DEUM Trinum, & Unum, sicuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Consonat Tridentinum sess. 6. c. 16. de quo inferius. Plura, præsertim ex SS. Patribus, vide apud Bellarminum tom. 4. contr. 3. gener. & 2. princip. l. 5. c. 4.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

301. Ob. 1. Psalm. 102. v. 4. dicitur: Qui coronat te in misericordia, & miserationibus: ergo non

ob merita. Confir. 1. Danielis 9. v. 18. dicit Propheta: Neque enim in justificationibus nostris proficimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis: ergo. Confir. 2. Luc. 17. v. 10. dicit Christus: Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus: ergo nihil meremur. Resp. neg. conf. S. Aug. 1. de corr. & grat. c. 13. sic ait: Veruntamen quia ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo gratia DEI dicitur: cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari; quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini: scilicet DEUS nos coronat in misericordia; quia nostra merita fundantur in misericordia, & gratia; cum non possit homo mereri, nisi prius gratis, seu ex misericordia justificatus fuerit, & nisi gratiam prius misericorditer acceperit. Bellarminus c. 5. loco num. præced. citato. ait: Conitatur misericordia coronam gloriæ; quia scilicet peccata venialia misericorditer remittenda sunt ante ingressum beatitudinis.

302. Ad 1. confir. neg. conf. Daniel ibi non petit coronam gloriæ, sed liberationem à captivitate, in quam populus propter peccata devenerat. Verum, etsi petisset coronam gloriæ, rectè locutus fuisset; tum quia non sciebat, Israëlitas habere sufficientia merita; imò neque de se ipso id sciebat certitudine fidei; tum quia non debebat in his arroganter fidere, sed potius humiliter in misericordia DEI. Dein saltem est misericordia, quod DEUS ea merita acceperit in actu secundo in ordine ad reddendum præmium, quanquam non sit retributio purè gratuita: quæ responsio etiam notari potest in ordine ad priorem textum psalm. 102. Ad 2. confir. Resp. cum V. Beda, Bellarmino, & Gormaz, neg. conf. Servi inutiles sumus; tum, quia DEUS nullam utilitatem ex nostris obsequiis potest recipere; tum quia sine ejus adiutorio nihil possumus facere: non autem; quia nihil meremur.

303. Ob. 2. Ad Rom. 6. v. 23. dicitur: Stipendium enim peccati mors; gratia autem DEI vita æterna: ergo hæc est ex gratia, non ex merito; alias diceretur etiam stipendium. Confir. 1. Ad Rom. 4. v. 4. ait S. Paulus: Et, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: ergo. Confir. 2. Ad Rom. 8. v. 17. dicitur: Si autem filii, & heredes: heredes quidem DEI: atqui filii, seu hæredibus DEI, debetur hæreditas, seu vita æterna, absque meritis: ergo ista sunt superflua, adeoque non dantur. Resp. S. Aug. ep. 105. ante medium sic habet: Cum enim dixisset: stipendium peccati mors, quis non congruentissimè, & consequenter addere judicaret: stipendium autem iustitiæ vita æterna? Et verum est; quia, sicut merito peccati, tanquam stipen-

spendium, redditur mors, ita merito iustitia, tanquam spendium, vita aeterna. & l. de grat. & liber. arbit. c. 9. ubi cum posset dicere, (Apostolus) & recte dicere, spendium autem iustitia vita aeterna: maluit dicere: Gratia autem DEI vita aeterna. Docet autem, Apostolum hoc non dixisse, ne putaretur, nos habere vitam aeternam aequè à nobis, sicut peccatum; cum tamen merita non habeamus, nisi ex gratia. Et in hoc sensu loquitur S. Augustinus l. de corr. & grat. c. 12. Meritis redditur, quæ gratia contulit homini. & ep. 105. ad Sixtum: Cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat, nisi gratia, & cum DEUS coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quam munera sua.

304. Ad 1. confir. Resp. illum textum Apostoli non loqui de meritis ex gratia factis, sed de operibus ex viribus liberi arbitrii factis. Patet quando Apostolus in eadem epistola loquitur de iustitia, quæ ex lege est, vel de lege factorum &c. loquitur de operibus legis Moisaicæ, quæ ex se, independentè à gratia, & fide, non profunt: item loquitur de operibus factis ante fidem, & gratiam. Accedit, quod ibi loquatur de merito, non gloriæ, seu salutis aeternæ, sed de merito primæ gratiæ, & inchoationis salutis, quale unque etiam iuxta non datur. Ad 2. confir. distin. min. hæreditas debetur absque meritis, hæreditibus, qui succedunt morientibus. om. min. qui accipiunt hæreditatem vivente patre. neg. min. & conf. DEUS non moritur, nec quasi ab intestato succedunt ejus filii: sed ipse supervivens tribuit eis hæreditatem: non tamen absque meritis; sicut etiam in creatis pater adhuc vivens non solet, nisi filio benè merito, cedere bonis. Si tamen filii DEI non possunt mereri, e.g. infantes post baptismum ante usum rationis mortui, tunc DEUS ipsis dat gloriæ, tanquam hæreditatem, absque meritis: at non ita adultis, quibus tamen etiam ob merita dat majorem gloriæ, quam infantibus, qui non habuerunt ulla merita.

305. Ob. 3. SS. Patres etiam negant merita: ergo. Resp. neg. ant. de quo videatur Belarminus tom. 4. contr. 3. gener. 2. princip. de justificatione l. 5. c. 6. ex quo nota sequentia. S. Hilarius, dum misericordiam præter meritæ requirit, tantum vult, ut diximus n. 302. venia peccata misericorditer debere remitti: quia nihil coinquinatum in cælum admittitur: potest etiam dici, merita debere misericorditer acceptari. S. Basilus malè citatur; tantum enim dicit, dari gloriæ non secundum debitum operum, sed secundum debitum munificentissimi DEI: scilicet, ut infra dicemus, condignitas præmii etiam desumitur ex magnificentia remunerantis. S. Augustinus, quando videtur nostra merita non sufficientia dicere, loquitur de meritis sine gratia DEI, & ex solius liberi arbitrii viribus elicitis. S. Prosper dicit, vitam aeternam esse donum gratiæ, eoquod ipsa merita sint ex gratia; quia scilicet, tam qui diutius, quam qui brevius laborarunt, ex gratia id fecerunt: nec debent de suis laboribus gloriari, aut de suis viribus extolli, quod docere vult Christus eâ parabolâ, quam S. Prosper adducit. S. Gregorius loquitur de operibus virtutis naturalibus, quæ nihil profunt, antequam quis per ve-

niam peccatorum actualium, seu saltem originalis, convalescat. S. Bernardus tantum excludit obligationem ex rigoroſa iustitia commutativa, quam multi Theologi negant.

306. Ob. 4. Si admittantur merita hominum, sit injuria meritis Christi Domini, quasi non essent sufficientia: sed hoc est absurdissimum: ergo. Resp. neg. maj. Inprimis merita Christi infinitum eminent nostris; quia ille meritis est nobis etiam primam gratiam, quam nos mereri non possumus, 2. meritis est gratiam, sine qua adjuvante mereri non possemus, 3. merita ejus sufficienter infinitis gratis, & donis promerendis, & infinitis mundis redimendis. Quod autem voluerit mereri nobis ita, ut non liceat nobis esse omnino otiosis, sed debeamus etiam aliquid facere, & cum ipsius gratia cooperari ad actiones virtutum, quæ sunt merita nostra, fuit sapientissimè factum; nam merito exigit DEUS à nobis etiam cooperationem honestam ad nostram salutem: & certè nunquam capiam, DEUM non curasse, quidquid gravissimorum scelerum committamus, modò in merita Christi credamus; hoc enim fuisset amplam nimis portam pandere vitis. Sed neque minimum quid detrahitur eorum valori per hoc, quod etiam nos mereamur; quia Christus sua merita instituit per modum causæ universalis, quæ concurrat cum causâ particulari, ejus cooperatio nil detrahit virtuti, vel dignitati causæ universalis. Sic non minus æstimabilis est omnipotentia DEI, dum non vult omnia se solâ facere, sed etiam causis particularibus influxum permittit, quàm si se solâ omnia operaretur.

307. Ob. 5. Possibilis est actus supernaturalis meritorius essentialiter impræmiabilis: ergo non omne meritum debet esse ex se potens movere ad retributionem præmii, adeoque mala est definitio meriti n. 298. statuta. prob. ant. si DEUS revelaret Petro, se nullum ejus actum præmiaturum, & Petrus hoc crederet, hic actus fidei esset essentialiter impræmiabilis: ergo. Respondet quidam, talem actum non quidem fore meritum in actu secundo, fore tamen meritorium in actu primo; quia hic actus tamen esset tantæ dignitatis, ut, si DEUS se vellet accommodare ejus valori, vel dignitati, deberet reddere tantum, vel tantum præmium. Sed hæc responsio potest urgeri sic. Hic actus essentialiter excludit remunerationem, adeoque excludit decretum DEI, volentis se accommodare ejus dignitati: ergo absolute non potest movere ad retributionem.

Itaque videtur dicendum, quod talis actus, licet esset obsequium, tamen non esset strictè meritum: ex quo tantum sequitur 1. quod actus meritorius constituatur ex negatione talis decreti nolentis præmiare, vel cerè ex negatione respectus essentialis ad tale decretum: 2. sequitur, quod non omnis actus supernaturalis absolute necessario debeat esse meritum: quæ non sunt contra nostram conclusionem; unde in forma. om. totum; quia nihil est nobis contrarium. Minimè autem sequitur, etiam possibile esse peccatum essentialiter impunitum; quia, ut suo loco dicemus, peccatum illud non essentialiter respiceret præcedentem actum fidei, vel decretum DEI, quod tamen decretum, vel

vel saltem veram de ipso revelationem DEI respicere deberet actus supernaturalis fidei. Quamvis fortè videri possit talis actus fidei repugnare ex eo, quòd decretum negandi præmium obsequio non deceat DEUM liberalissimum, adeoque nec possit dari revelatio vera de hoc decreto, nec actus supernaturalis fidei de illo.

308. Addo pro clariore meriti notitia, 1. Non omne, quod est laudabile, est etiam meritorium; multi enim actus necessarii DEI, & Beatorum, sunt laudabiles: at non sunt meritorii; quia actus Beatorum non sunt liberi, nec in statu merendi elicit: actus Divini autem non possunt esse obsequium. 2. Distinguitur meritum & satisfactio; hæc enim respicit necessarium debitum abolendum, dum meritum respicit remunerationem. 3. Distinguitur etiam meritum, à satisfactio; cum hæc non debeat esse libera, sed possit esse necessaria, & à reo necessario tolerari: præterquam, quòd etiam supponat debitum. 4. Neque etiam idem sunt meritum, & impetratio strictè sumpta; hæc enim est humilis quædam, & expressa petitio, facta superiori, cum contestatione potestatis ejusdem superioris, & manifestatione indigentiae propriæ, pro qua tollenda fit petitio, quod propriè soli convenit orationi: meritum autem non tantum in oratione, sed in pluribus aliis actibus invenitur. Accedit, quòd oratio, seu impetratio, etiam possit fieri ab iis, qui non possunt mereri, ut à Christo, & Beatis in cælo. Si verò impetratio latius sumatur, pro omni opere, potente movere Divinam misericordiam ad præstandum auxilium, tunc potest omne meritum dici impetratio: quamvis non ideo etiam omnis impetratio sit meritum; quia hoc necessario debet esse liberum: si tamen impetratio libera sit, & elicit in statu merendi, etiam erit meritum. Interim tamen potest sæpe contingere, ut omnia hæc prædicata in unum actum confluant: sic e. g. actus misericordiae, liberè elicitus ab homine, habente gratiam sanctificantem, est moraliter laudabilis, est meritum, est etiam, si offeratur pro deletionem culpæ, satisfactio, & potest quoque esse satisfactio, si quis eum eliciendo pariat: quin etiam interpretativa quædam humilis deprecatio, adeoque impetratio. Idem est in actu orationis, cum aliqua corporis molestia, vel quadam perpeffione, factæ &c.

ARTICULUS III.

An detur Meritum condignum æternæ gloriæ.

309. **M**eritum à Theologis dividitur in meritum de condigno, & meritum de congruo, de qua divisione agit S. Thomas. in 2. dist. 27. q. 1. a. 3. in corp. ubi sic scribit: Dicitur autem aliquis mereri ex condigno, quando invenitur æqualitas inter præmium, & meritum secundum rectam estimationem: ex congruo autem tantum, quando talis æqualitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem dantis munus tribuitur. Primum igitur, seu meritum de condigno est, quod est æquale

præmio: secundum autem, seu meritum de congruo est, quod non est æquale, sed tantum habet imperfectam aliquam exigentiam, & congruentiam ad præmium, quod ut reddatur, debet multum accedere de liberalitate, & affectu benevolæ præmiantis. Meritum de condigno vocatur *meritum simpliciter tale*: meritum de congruo vocatur etiam *meritum secundum quid*. Ubi tamen nota, etiam meritum de condigno non debere habere æqualitatem arithmetica cum præmio, sed sufficere geometricam, ut docent Oviedo. tr. 9. de merito contr. 5. punct. 5. Gormaz. tr. de merit. n. 11. Haunoldus. l. 2. tract. 3. contr. 1. n. 843. & alii, quibus præit S. Thomas loc. modo cit.

Ista autem æqualitas geometrica multum dependet etiam à circumstantiis, tum personæ merentis, tum personæ præmiantis; quò enim major est dignitas præmiantis, eò majori etiam præmio dignum est meritum; neque enim decet, ut idem meritum, vel obsequium, in se materialiter sumptum, eodem modo remuneretur rex, ac plebejus. e. g. si vitam servet rustico, & regi, meritò longè majorem remunerationem expectas à rege, quàm à rustico. Nec excessus doni regii erit tantum liberalis donatio, sed spectabit ad condignitatem præmii, adeò, ut, si rex tali non multò plus daret, quàm rusticus, ille non tantum illiberalis fuisset, sed debito suo minimè satisfecisse diceretur.

310. Nec dicas, obsequium præmium personæ digniori decrefcere in ratione meritis; nam, quamvis hoc verum sit, non tamen verum est, quòd æquè decrefcet in ratione condignitatis ad præmium; quia hæc non tantum constituitur ex dignitate operantis, sed etiam saltem aliquo modo geometricè ex dignitate præmiantis, ut in exemplo modò allato ostensum. Quare, licet meritum regi exhibitum, sit sub aliqua ratione minus obsequium, quàm, si exhibitum fuisset alteri inferiori, tamen meretur de condigno majus præmium à rege, quàm ab inferiori, ut patet ex dictis. Et hoc est, quod S. Thomas loc. num. præced. cit. dicit, meritum debere esse æquale præmio secundum rectam estimationem; per hanc enim planè judicatur, debere præmium, à rege datum, majus esse, quàm datum ab inferiore.

Quantum autem præmium debeat ab hoc, vel illo præmiantem dari, non potest determinare, quàm fortè ex lege, præmium determinante, si quæ sit, vel iterum ex recta estimatione, seu prudentum judicio. Hoc fermè idem intelligunt Lugo, & Oviedo, quando dicunt, meritum de condigno debere habere æqualitatem, non quidem quoad quantitatem, seu arithmetica, sed tamen quoad virtutem, seu vim movendi, quæ dependet etiam multum à dignitate præmiantis, & ex hac geometricè crescit. Idem alii videntur dicere, dum ajunt, meritum debere habere æqualitatem cum præmio, similem illi, quam habet semen cum arbore, quam continet in virtute.

311. Meritum de congruo autem non exigit hanc æqualitatem: attamen in eo requiritur, ut ait Lugo apud Haunoldum l. 2. tr. 3. contr. 1. n. 842, ut tam æstimabile sit, ut præmians possit prudenter moveri ad dandum illud.

lud præmium, e. g. si supremus militum ductor insignem victoriam de hostibus refert, meretur de condigno triumphum: alius inferior officialis bellicus, modo extraordinariè strenuo pugnans, meretur de condigno, non quidem triumphum, sed tamen promotionem ad altius officium militare, juxta suum statum: de congruo autem meretur, ut adhuc altius promoveatur; quia nil sit imprudens, si talis per saltum, ut ajunt, promoveatur. At verò, si rex vellet stabularium, ob habitam diligentem curam equi, statim adoptare in filium (ut rectè ait Haunoldus) imprudenter ageret; nec enim istud obsequium vel de congruo mereretur tantum præmium. Addit Gormaz n. 19. *§ seq. de merito*, & bene, quòd meritum de congruo patiat magnam latitudinem, & quidem debeat in illo esse congruentia aliqua cum præmio: qualis autem, aut quanta esse debeat, inferendum, ait, esse vel ex auctoritate, vel ex ratione, vel ex comparatione cum aliis meritis certò congruis.

312. Ex occasione hinc quæri potest, in quo sensu verum sit illud axioma Theologorum: *DEUS punit infra condignum*, & *premiat ultra condignum*. Et quidem quantum attinet ad punitionem, dicendum, quòd DEUS nunquam utatur toto rigore justitiæ, sed minus puniat, etiam in inferno, quàm derigore peccata mererentur. Quod autem attinet ad præmium, Oviedo tract. 9. *controv. 5. punct. 6.* assertit multiplicem axiomatis sensum, & n. 89. tandem dicit, se istud axioma parùm curare; cum nesciat, unde proveniat. Potest tamen dici. 1. quòd, sicut datur triplex rerum pretium, summum, medium, & infimum, ita etiam detur triplex præmium: & DEUS semper det summum. ita Haunoldus. 2. potest dici, quòd DEUS præter præmium condignum essentialè, addat alia accidentalìa, vel majorem intensiõnem præmii. 3. potest dici, quòd DEUS plus det præmii, quàm exigit meritum, præcisè in se spectatum, seu materialiter acceptum, seclusa gratia condignificante.

313. Dividitur ulteriùs meritum, præsertim à recentioribus, in *impetratorium*, & *compensativum*. Prius, seu *impetratorium*, quod etiam vocatur *remunerandum*, vel à quibusdam etiam *attrahivum*, est illud, quod per modum causæ moralis, seu quia est, movet ad retribuendum præmium, e. g. victoria obtenta movet ad decernendum supremo Archistratego triumphum: bona opera supernaturalia, in statu gratiæ facta, movent DEUM ad dandum augmentum gratiæ. Meritum *compensativum* (quod etiam aliquando vocatur *solutivum*) juxta suos auctores est illud, quod non movet per modum causæ moralis, quia est, sed ut sit, per modum causæ finalis, e. g. si quis anticipatò solvit mercedem operario, labor subsequens dationem mercedis, est meritum compensativum; quia movet ad dandam anticipatò mercedem; non quia est, sed ut sit, seu ut labor subsequens compenset, vel quasi solvat, seu rependat mercedem priùs acceptam.

Ex quo tamen, ut ajunt assertores hujus meriti, non sequitur, quòd quilibet finis intentus, sit tale meritum; nam, si merces non

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

detur intuitu habendæ compensationis per laborem, non erit tale meritum. At vix erit, aut certè rarus casus, ut merces detur anticipatò non intuitu alicujus laboris, vel rei habendæ; nam talis merces utique datur propter aliquid acquirendum, vel comparandum (alias non est merces, sed donatio) adeoque adhibetur tantum medium ad finem: consequenter, si finis obtineatur, hic erit meritum compensativum; unde ad minimum ordinariè finis erit meritum compensativum, saltem, si compenset media; si enim ista non compensaret, reverà non esset meritum compensativum, quamvis tale esset in intentione adhibentis media, vel dantis mercedem anticipatò &c. Sed de hoc merito sufficiat data hæc explicatio: an reipsa dicendum sit meritum, & an talia fuerint merita Christi, discutiendum est in tractatu de Incarnatione. His præmissis

314. Dico. Actus supernaturaliter boni, facti ab homine, in statu gratiæ sanctificantis constituto, sunt meritorii de condigno beati tudinis æternæ. Ita Catholici omnes. Prob. Meritum simpliciter tale, & cui debetur præmium, est meritum de condigno; nam, ut suprà explicatum, meritum de congruo est tantum meritum secundum quid, ita, ut, si remunerator præcisè velit attendere ad ejus valorem, non debeat ei reddere præmium: atqui Scripturæ, Concilia, & Patres, sæpissimè ajunt, simpliciter nos mereri vitam æternam, hanc reddi, & deberi nostris meritis &c. ergo.

Prob. mi. textibus pluribus n. 300. citatis: qui firmantur magis ex aliis, quibus DEUS sæpe dicit, quòd reddat mercedem ad mensuram operum, hoc est, secundum dignitatem eorum: & quòd digni reddamur vitæ æternæ &c. Sic psalmo 61. v. 13. *Reddes unicuique secundum opera sua.* Matth. 16. v. 27. *Tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Apocal. ultimo. v. 12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* 2. Thessalon. 1. v. 5. *Ut digni habeamini in regno DEI, pro quo & patimini.* Apocal. 3. v. 4. *Ambulabunt mecum in albis; quia digni sunt.*

315. Accedunt SS. Patres, qui afferunt, nos ratione operum dignos esse æternâ vitâ, & hanc reddi ut stipendium, per quod planè non intelligitur donatio, sed merces operi respondens: item ajunt, nos mercari, seu emere beatitudinem, quod sanè non est eam gratis, sed pro condigno pretio accipere. Sic S. Justinus in Apologia. 2. multùm ante medium ait: *Hominesque, qui dignos se DEI voluntate, & consilio, operibus præstiterint, cum eo victuros esse meritis suis sumptimus.* S. Hilarius canone 5. in Matth. *Regnumque DEI vitæ nostræ stipendiis quæramus.* Et hæc redè, perfectèque viventium merces est. S. Basiliius homil. in principium Proverb. sub finem. *Omnes Evangelicam viam ambulantes mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cælestium negotiantes.* S. Augustinus. epist. 105. ad Sixtum ante medium. *Sicut meritum peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vitæ æterna.* Plures textus ex Scripturis, Patribus &c. suggerit Bellarminus. tom. 4. *controv. 3. gener. contr. 2. princip. de iustif. l. 5. c. 3. § 4.* Accedit ratio. Justus per gratiam

X

fit

sit filius adoptivus DEI: ergo potest mereri suam hæreditatem, operibus ab ipso statu filii DEI dignificatis.

316. Posset hic etiam quæri, an merita nostra de condigno se quoque extendant ad merendam primam gratiam, & gloriam: at quia quæstioni huic jam satisfactum in *tract. de Angelis à n. 136.* ubi discussum, an Angeli se disposerint ad primam gratiam (nam quoad hoc par est ratio de hominibus, & de Angelis) hinc illuc lectorem remitto. Breviter tantum dico, non posse nos mereri, neque de congruo, primam gratiam excitantem; quia antecederet ad hanc gratiam, non possumus elicere, nisi actum purè naturalem, ut patet: sed actus purè naturalis non potest esse meritum, neque de congruo, respectu præmii supernaturalis, ut est certum: ergo.

Possumus tamen de congruo mereri primam gratiam sanctificantem, modò gratia excitans præcesserit; nam meritum de congruo non præsupponit statum habitualis iustitiæ, sed potest etiam dari in peccatore. At verò non possumus eandem primam gratiam sanctificantem mereri de condigno; quia tale meritum constituitur ex dignitate gratiæ sanctificantis, & meritum præsupponitur ad præmium, adeoque, si gratiam illam primam mereremur de condigno, deberet eadem gratia præsupponi ad seipsam, quod fieri nequit. Probabiliter tamen possumus mereri de condigno primam gloriam: & sic in *tr. de Angel. loc. cit.* diximus, Angelos probabiliter meritos esse de condigno primam suam gloriam. Ratio est. Cum actibus nostris correspondeat duplex præmium, nempe gratia sanctificans pro priori, & gloria pro posteriori signo naturæ, probabiliter actus, pro priori condignificatus gratia sanctificante, habet pro posteriori vim condignam merendi gloriam.

317. Ob. 1. Apostolus ad *Rom. 8. v. 18.* ait. *Non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis:* ergo non datur meritum condignum gloriæ. Confir. Potest dici, quòd opera nostra sunt tantum puri termini, quibus positus, DEUS ex sua pura liberalitate conferat gloriam: sicut supra *n. 63. & 64.* diximus, aliquos asserere, opera naturalia esse puros terminos, quibus positus, DEUS, ex pacto cum Christo, det gratiam: ergo non debent admitti merita condigna. Resp. neg. conf. Apostolus loquitur tantum de passionibus, seu operibus, in se consideratis, absque condignificatione gratiæ, qua ratione utique non habent proportionem cum præmio æterno, præsertim (ut rectè ponderat Bellarm. *tom. 4. controuv. 3. general. controuv. 2. princip. de iustif. l. 5. c. 3.*) cum sint huius temporis, hoc est, tam breves, & gloria sit sempiterna.

Responsio hæc roboratur ex eo, quòd intentum Apostoli ibi fuerit, animare fideles ad fortiter patiendum, ostendendo, quàm parvis rebus possint ingentia præmia sibi acquirere, ad quod ejus intentum vel maximè serviebat, si compararet passionum istarum, in se, seu materialiter tantum spectatarum, exiguitatem cum magnitudine gloriæ æternæ; unde non voluit, ibi eas passionibus intelligi, ut à gratia condignificatas; nam de ipsis in hoc sensu acceptis ali-

ter loquitur *2. Cor. 4. v. 17.* Quod in presentibus est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, super modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Ad confir. neg. ant. Purus terminus non est dignus mercede, aut stipendio, nec ista illi debentur, sicut tamen Scripturæ, Concilia, & Patres dicunt, ista deberi nostris operibus bonis in gratia factis.

318. Ob. 2. Tridentinum sess. 5. c. 16. ait: *Bene operantibus usque in finem, & in DEO sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis DEI per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces, ex ipsius DEI promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda:* ergo opera bona sunt gratia, adeoque non sunt merita, nisi ad summum de congruo. Confir. DEUS præmiat ultra condignum: ergo opera bona non sunt tam digna, quàm vita æterna. Resp. neg. conf. Tridentinum opera nostra vocat simpliciter merita, & ait, iis reddendam mercedem esse, quæ non conveniunt merito tantum congruo. Quòd autem eadem opera vocet gratiam, nil obest; quia sunt simul gratia; cum sine gratia excitante, & adjuvante, vel cooperante, elici non potuerint. Et hoc etiam est, quòd S. Augustinus vult indicare verbis *n. 301. & 303.* allatis. Ad confir. Ex hoc ipso axiomate infertur, quòd supponant Theologi meritum condignum; aliàs quomodo dicerent, DEUM ultra hoc præmiari. In forma. neg. conf. Sensum hujus axiomatis jam explicavimus *n. 312.*

ARTICULUS IV.

An solus Actus Charitatis, vel solus actus à charitate imperatus, sit meritorius præmii supernaturalis.

319. Dico, Non solus actus charitatis, sed omnes alii actus supernaturales aliarum virtutum, in statu gratiæ elicit, sunt meritorii gratiæ, & gloriæ. ita Theologi communissimè contra paucissimos, Prob. conclus. Actus virtutum supernaturales, ab homine iusto elicit, ex intrinsicis suis prædicatis, referuntur ad DEUM, tanquam ultimum finem: ergo sunt meritorii; nam si referuntur ad DEUM, sunt obsequia DEO præstita, & ratione gratiæ digna præmio supernaturali, gratiæ, & gloriæ. antecedens rectè probat Suarez. *p. 3. de grat. l. 12. c. 9. n. 4. & 5.* ex eo, quòd isti actus speciali modo debeant DEO procedere, tanquam à supernaturali principio; nam hoc ipso jam habent sufficientem relationem ad DEUM, tanquam ad suum ultimum finem; quia, ut idem Eximius ait, quæ procedunt à DEO, ut auctore supernaturali, ordinantur ad ipsum, tanquam supernaturalem finem, intrinsicè, & connaturali ordinatione; cum ultimus finis semper proportionetur primo principio: sicut ideo natura intellectualis naturaliter tendit in DEUM, ut finem naturalem; quia ab illo, ut prima causa naturali, procedit: ergo actus isti jam referuntur sufficienter ad DEUM.

Verum

Verum quidem est, quòd actus aliarum virtutum non referantur ad DEUM tanquam ad suum objectum, sicut ad eum refertur actus charitatis; attamen referuntur ad eum tanquam ad suum principium, & finem, quòd sufficit; nam gratis dicitur, quòd alia relatio requiratur. Confir. Opposita opinio (ut iterum bene advertit Suarez. n. 3.) merita iustorum sine causa multum diminuit; nam juxta adversarios multi, etiam iusti, sed imperfecti homines, sæpe fat diu nihil, saltem præmii essentialis, mererentur; cum actum charitatis Theologica fat diu non eliciant: interim tamen Christus Dominus Matth. 25. v. 34. operibus misericordiae, nulla mentione facta charitatis Theologicae, vitam aeternam, tanquam meritis condignis attribuit.

320. Prob. conclusio 2. Tridentinum sess. 6. c. 16. ad hoc, ut homines vitam aeternam, suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur (quibus verbis planè indicatur meritum de condigno) ad hoc, inquam, aliud non requirit, quàm 1. ut sint iustificati, seu in statu gratiae. 2. ut opera eorum fiant ex gratia, seu virtute, quam Christus, tanquam caput, in membra influit. 3. ut eadem opera in DEO sint facta: quòd repetitur ejusdem sessionis can. 26. sed hoc totum habetur etiam in aliis actibus supernaturalibus aliarum virtutum: ergo. ma. & min. patent, nisi quis vellet contendere, verba illa in DEO facta significare actum charitatis; at immeritò hoc contenderet; nam satis in DEO fit, quòd (ut Suarez. ait p. 3. de grat. l. 12. c. 9. n. 6.) fit in gratia, sive fit ab homine, per charitatem habituales in DEO manente, & ex gratia DEI, specialiter moventis, & adjuvantis, ad ponendum actum, qui ex natura sua in DEUM tendit, & ad gloriam ejus cedit, ut explicatum n. preced.

321. Dico. 2. Ad hoc, ut actus sit meritorius de condigno, non est necesse, ut sit imperatus à charitate. ita Suarez. p. 3. de grat. l. 12. c. 9. n. 3. Gormaz de merito n. 118. qui insuper n. 115. citat Amicum, Tannerum, Arriagam, Oviedo, & communem nostrorum. Conclusio procedit tam de imperio actuali charitatis, quòd consisteret in actu charitatis actualiter existente, quàm de virtuali, quòd consisteret in aliquo effectu ab actu charitatis (qui prius extitisset, nunc autem jam transisset) relicto; sicut scilicet solent Theologi alibi loqui de intentione actuali, & virtuali. Alii hinc mentionem faciunt imperii habitualis, hoc est, jam præteriti, & in nullo effectu amplius existentis, quòd minus requiritur; quia minus juvat: certè non magis est necessarium. Prob. autem conclusio fisdem rationibus, quibus superior assertio. Sine imperio actuali, & virtuali, quàm & habituali charitatis, habentur omnia, quæ Tridentinum requirit ad opera meritoria de condigno, ut supra explicatum: habetur etiam sufficiens relatio intrinseca actuum ad DEUM, extrinseca alia non probatur esse necessaria; immò cum minueret multum merita iustorum in ordine ad gloriam, aut gratiam; edquòd multi, saltem imperfecti, sæpe fat diu actum charitatis non

eliciant, potius probatur non esse necessaria talis relatio: ergo.

Quare ad meritum de condigno tantum requiritur. 1. ut actus sit honestus. 2. ut intrinsecè sit supernaturalis. 3. ut sit liber. 4. ut sit elicitus ab homine iusto, seu habente gratiam sanctificantem. 5. ut sit elicitus adhuc in statu viæ, vel merendi. Ex quo obiter infero, non requiri per se ad meritum specialem arduum actus; nisi enim fiat quaestio de voce, & omnis actus liber dicatur specialiter arduus; eoquòd elici debeat, stantibus quibusdam motivis in oppositum, multi actus valde meritorii, non sunt specialiter ardui; nam sanctissimi viri facillè eliciunt actus Divini amoris, etiam intensos.

322. Ob. 1. S. Paulus 1. Cor. 13. v. 3. ait: Si tradidero corpus meum ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: ergo alii actus, non imperati à charitate, non merentur. Confir. Scriptura sæpissimè nos hortatur, ut omnia ad gloriam DEI, & propter ejus amorem, faciamus, ut consequamur vitam aeternam: ergo ad meritum de condigno requiritur ordinatio operis ad amorem DEI: ergo requiritur saltem virtuale imperium charitatis. Resp. neg. conf. Apostolus ibi loquitur de charitate habituali, quæ si non adsit, neque adest in hac providentia gratia sanctificans, adeoque non datur meritum condignum, ex defectu status iustitiæ, non autem ex defectu charitatis actualis.

Ad confir. neg. utramque conseq. Scriptura nos hortatur sæpe ad alios actus virtutum, e.g. ad jejunium, orationem, eleemosynam, quin ad meritum requiratur imperium istarum virtutum, temperantiæ, religionis &c. sic Raphaël Tob. 12. v. 8. hortatur Tobiam ad ista sine ulla mentione actus charitatis. Unde ex eo, quòd Scriptura ad aliquid hortetur, sequitur quidem, illud esse bonum, vel aliquando etiam melius; sed non sequitur, id esse necessarium: & saltem sufficit ordinatio intrinseca operis, quæ est interpretativa aliqua intentio gloriæ Divinæ, ejusque beneplaciti: nec requiritur ordinatio aliqua extrinseca actualis, vel virtualis.

323. Ob. 2. Actus meritorius, ut sit dignus mercede, debet esse obsequium DEO præstitum: atqui non est tale, nisi per actum charitatis referatur ad DEUM: ergo. Confir. Actus non est meritorius, sine promissione facta ex parte DEI remunerantis: ergo neque est meritorius, sine oblatione facta ex parte merentis: atqui hæc oblatio debet fieri per actum charitatis: ergo. Resp. neg. min. modò enim actus ex intrinseca sua natura referatur ad DEUM, & insuper fit adimpletio legum ipsius, atque ipsi placens, est sufficienter obsequium, etsi nec actu, nec virtute, hinc & nunc, referatur ad DEUM, per extrinsecam intentionem, vel imperium.

Et quis dicat, illum non præstare obsequium suo hero, qui cogitans, se velle nunc strenuè laborare, simul egregiè e. g. in horto domini laborat, quin de suo hero cogitet? Sufficit scilicet, hunc laborem eoipso, quòd fiat circa bona domini, cedere in ejus bonum: sic

etiam sufficit, opera nostra, ex supernaturali gratia facta, cedere ex ordinatione intrinseca in bonum DEI, vel ad ejus laudem, aut beneplacitum.

324. Ob. 3. S. Thomas. 1. p. q. 95. a. 4. in corp. ait. *Quantitas meriti ex duobus potest pensari: uno modo ex radice charitatis, & gratie: & talis quantitas meriti respondet premio essentiali, quod consistit in DEI fruitione*: dein addit, alio modo pensari quantitatem meriti, ex quantitate operis, sive absoluta, sive proportionali, & subdit: *Utraque tamen quantitas meriti respondet premio accidentali, quod est gaudium de bono creato*: ergo ex S. Doctore actui meritorio non respondet premium essentiali, nisi ratione radice charitatis, hoc est; quia meritorium opus oritur ex radice charitatis, ratione imperii, sive actualis, sive saltem virtualis, à charitate positi.

Resp. neg. conf. S. Doctore eo loco tractat quæstionem, an primus homo, seu Adam, in statu justitiæ originalis, fecisset opera magis meritoria, quàm nos nunc faciamus: nec facit ullam comparisonem inter actus charitatis, & aliarum virtutum: sed inter actus charitatis, elicitos in statu naturæ integræ, & elicitos in statu naturæ lapsæ, aitque, in priori statu Adamum eliciturum fuisse majora merita, eoquod habuisset copiosiores gratiam, & minora obstacula tentationum &c. adeoque ferventiores actus charitatis eliciuisset: quod nihil est contra nos.

325. Quod autem spectat ad radicem charitatis, permitto, S. Doctorem loqui de charitate actuali; nam dicit, operantem ex majori charitate plus mereri, quod valde incertum est de operante cum majore tantum charitate habituali: deinde ad 2. ait, ex magnitudine charitatis causari promptitudinem voluntatis, & ex hac charitate posse aliquem tam prompta voluntate facere opus facile, quàm alius faceret difficile; quia æquè paratus esset, hoc alterum facere: quæ conveniunt charitati actuali intensæ. Dixi: *permitto*; quia aliqui cum Gormaz volunt, S. Doctorem ibi loqui de charitate habituali: quo casu, ut patet, textus non probaret quidquam contra nos. Sed supponendo etiam, sermonem ibi S. Doctore esse de charitate actuali, resp. S. Doctorem non dicere, nullum dari meritum sine radice charitatis actualis, sed tantum dicere, nullum dari meritum, seu vim meritoriam ad premium essentiali, in actu externo, ex charitate facto, nisi illam, quæ in eum derivatur ab actu interno charitatis, qui est radix meriti.

Quod enim S. Doctore loquatur de operibus externis, est manifestum; quia loquitur de oblationibus in templo factis, & duobus minutis, à vidua Evangelica oblati; & hæc opera, ait, non mereri premium essentiali, sed ad summum aliquod accidentale majus, si ipsa majora fuerint. e. g. si duo ex actibus charitatis similiter intensi fecissent duo opera externa, unus majus, alter minus, ille non haberet majorem visionem beatificam, quàm hic: posset tamen habere aliquod gaudium accidentale de bono creato, ut ait S. Doctore, quatenus posset gaudere de eo, e. g. quod nobilius templum honoris Divino structum sit. Unde à primo ad ultimum, ex hoc loco tantum probatur, quod actus externus non augeat meritum actus inter-

ni, prout etiam diximus tract. de actibus humanis n. 164. non autem, quod nullus actus virtutum, nisi formaliter procedat ab imperio charitatis, sit meritorius præmii essentialis, seu fruitionis Dei, de quo ibi S. Doctore nullatenus agit.

ARTICULUS V.

An Opera meritoria habeant vim merendi ex natura sua, an ex promissione DEI.

326. **P**remitto ex Suarez p. 3. de grat. l. 12. c. 17. n. 1. alius esse ordinem, aliud promissionem.

Illa, seu ordinatio, est voluntas ordinantis hæc opera ad hæc præmia. e. g. cursus in stadio ex se non est meritum bravii, sed ex lege reipublicæ, instituentis hæc certamina, & proponentis victori præmia: & hinc talis voluntas reipublicæ est ordinatio cursûs ad meritum. Promissio est voluntas ejus, qui se obligat ad dandum tali operi condignum premium. Quæ promissio ordinariè vel involvitur in ordinatione, vel certè hæc consequitur; cum ordinans meritum, & proponens premium, meritò censetur se obligare ad istud dandum, supposito, quod opus fuerit factum.

Discrimen etiam faciendum cum eodem Suarez loc. cit. n. 7. inter premium intrinsecum, ut vocat, & extrinsecum. Prius est, cum quo actus meritorius habet intrinsecam connexionem &c. alterum, cum quo actus non habet intrinsecam connexionem, sed debet eam ab extrinseco accipere. Idem est, si dicatur, discrimen esse inter opera, ex se indifferenter ad premium, & ex se connexa cum premio. Indifferenter sunt e. g. cursus in stadio, item scriptio alicujus poematis; hæc enim actiones, licet in se laudabiles sint, tamen independentes ab ordinatione, vel propositione præmii, victoribus dandi, non habent connexionem cum premio. Connexa cum premio sunt e. g. famulus domino præstitus, vel labor artificum, aut operarum: & adhuc magis bona opera supernaturalia; quia, etsi fors ille famulus, & labor, non ita strictè conducentiam intrinsecam habeant ad mercedem, seu retributionem, tamen opera nostra bona supernaturalia habent intrinsecam conducentiam ad visionem beatificam, quæ est merces, & premium, atque ideo dicuntur Theologicè supernaturalia.

327. Addo ex doctrina ejusdem Eximii, & Gormazii tr. de merito. n. 210. & seq. vocem hanc meritum in triplici significatione accipi posse, nempe pro merito latè dicto, strictè dicto, strictissimè dicto. Meritum latè dictum potest dici actio, quæ ex se quidem habet libertatem, bonitatem, laudabilitatem, dignitatem, & valorem: sed vel habet valorem necdum determinatum, vel non positum in circumstantiis ad merendum requisitis; ait enim Suarez (præsertim p. 3. de grat. l. 12. c. 17. n. 12.) opus etiam habens valorem, nondum tamen esse meritum immediate respectu hujus tanti præmii: eoquod, sicut pretium rerum est triplex, summum, medium, & infimum, ita etiam detur valor meriti ad premium summum, medium, & infimum: putat-

putatque, hunc valorem non stare in indivisibili antecedenter ad determinationem DEI, quam putat necessariam, ut assignetur cuique merito primum in indivisibili.

Alii autem, qui videntur velle, primum condignum stare in indivisibili, idque à DEO cognosci, tamen negare non possunt, actum talem non exigere ex natura circumstantias merendi, e. g. actus etiam liber est indifferens, ut fiat in via, vel in termino, praesertim, si operans nondum sit in ultimo termino, ut Patres in limbo, vel animae in purgatorio, vel, ut plurimi volunt, Enoch, & Elias in loco incongnito; quare, si talis actus non ponatur in statu viae &c. non erit meritum, nisi latè dictum.

Meritum strictè dictum est actus, habens in se non tantum bonitatem, & laudabilitatem (quam habent etiam actus DEI, & Beatorum non liberi, & non meritorii) sed etiam libertatem, & determinatum valorem, ac dignitatem, & quidem in circumstantiis ad merendum requisitis, ad recipiendum primum, si remunerator se velit accommodare valori ipsius, ad quod tamen saepe non tenetur. Meritum strictissime tale est, quod praeter dicta affert etiam obligationem in remuneratore ad dandum primum. His praemissis

328. Dico 1. Ad meritum supernaturale latè dictum nulla requiritur ordinatio, aut promissio DEI: requiritur tamen aliqua ordinatio ad meritum strictè dictum. Ita Suarez capit. praeced. citato, & alii. Prob. 1. pars. Laudabilitas, bonitas, libertas, dignitas, & valor, praesertim adhuc indeterminatus, non requirunt ordinationem specialem DEI, sive ad primum, sive ad circumstantias proximas merendi: atqui in illis, nempe in laudabilitate &c. stat meritum latè dictum: ergo. Prob. 2. pars. Vel actus ex se nondum habet valorem, in indivisibili determinatum, aut dignitatem ad primum, vel certe ex se non exigit, ut in his, vel illis circumstantiis, & non in aliis, sit strictè meritorius: ergo opus est determinatione DEI, volentis ei assignare tantum, vel tale primum, vel saltem opus est determinatione circumstantiarum, in quibus actus sit, vel non sit meritorius: atqui haec determinatio est ordinatio ad primum, vel circumstantias: ergo ad hoc, ut actus sit strictè meritorius, opus est aliqua ordinatione, sive determinatione DEI.

329. Dico. 2. Ad hoc, ut actus sit strictissime meritorius, praeter ordinationem etiam opus est promissione DEI. Ita Gormaz de merito n. 211. Suarez p. 3. de grat. l. 12. c. 18. n. 5. & hoc teste, communiter alii. Prob. DEUS, utpote supremus dominus, sub cuius potestate, & iure plenissimo, omnia sunt, posset sibi vindicare, titulo sui domini, omnes actus nostros bonos, laudabiles, liberos, aequales, vel dignos premio &c. quin se vellet accommodare exigentiae valoris eorum ad primum, vel aliquid pro iis retribuere: ergo, ut DEUS obligetur, opus est promissione ipsius, quae posita, ratione suae infinitae fidelitatis, si non etiam, ut multi volunt, ratione iustitiae, metaphysicè necessitatur ad dandum primum promissum.

Confir. Scripturae, Concilia, & Patres, saepe revocant vim actuum nostrorum bono-

rum meritoriam, saltem ultimato completam, sive strictissime talem, ad promissionem DEI: qua promissione infallibili etiam excitant spem nostram, & simul animum, ad alacriter faciendam bona: ergo. ant. prob. Matth. 20. v. 13. sub similitudine Patrisfamilias inducit Christus vel se, vel Patrem suum, operario loquentem: Nonne ex denario convenisti mecum? conventio autem idem est, ac promissio. Jacobi 1. v. 12. Accipiet coronam vitae, quam repromisit DEUS diligentibus se. Concilium Senonense in decretis fidei, decreto 16. ait, nostra bona opera esse meritoria, non absoluta condignitate quidem (neque enim condignae sunt passionibus huius seculi ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis) sed gratuita magis, & liberali repromissione: ubi absolutam, hoc est, omnino strictissimam condignitatem non solis operibus nostris bonis, sed his simul cum promissione gratuita, trib. it.

Moguntinum cap. 8. ait, opera nostra bona verè bona, & DEO grata, ac remuneratione vitae aeternae digna esse; tum quia DEUS bene operantibus, & in ipso sperantibus, mercedem misericorditer promittit: tum etiam, quia ejusmodi iustificatorum opera, gratia DEI effectus sunt, & movente, & adjuvante Spiritu S. fiunt. Sic etiam Tridentinum, superius jam citatum, sess. 6. c. 16. ait: Bene operantibus . . . proponenda est vita aeterna . . . tanquam merces, ex ipsius DEI promissione bonis ipsorum operibus, & meritis, fideliter reddenda. Ubi, dum ait, meritis reddendam, agnoscit meritum strictè dictum, antecedenter ad promissionem: dum autem ait, ex DEI promissione reddendam, indicat, ea independenter à promissione non esse merita strictissime talia.

330. Consentiant Patres apud Suarez p. 3. l. 12. de grat. c. 18. ex quibus S. Augustin. serm. 16. de verbis Apostoli: Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: redde, quod promissisti, quia fecimus, quod iussisti. Neque dicas: si promissio necessaria est, tunc potest dici, quod in ea sola consistat vis meritoria; nam hoc nullo modo dici potest; cum possit promissio fieri sub conditione prorsus non meritoria, praesertim de condigno. Sic DEUS promittit gratiam, & remissionem peccati, contritioni à peccatore elicita, quae tamen nullo modo est meritum de condigno, ut omnes docent. Sic etiam, si quis alteri promittat equum, si det aureum, talis datio non est primum condignum. Et ratio, quod promissio sola non faciat actum meritorium, clara est; quia, sicut potest promissio esse purè & absolute gratuita sine omni adjecta conditione, ita etiam potest esse sub conditione, quae non sit aequalis valori, vel dignitati &c. rei promissae. Unde ad meritum requiritur bonitas, aestimabilitas, dignitas, &c. operis saltem geometricè aequalis remunerationi, sive premio, quae superius sat explicata sunt.

331. Equidem aliqui videntur dicere, quod, sicut princeps in humanis potest pro libitu augere, vel minuere pretium monetæ, ita etiam DEUS possit pro libitu augere vim meritoriam operis, non attendendo ad laudabilitatem, dignitatem &c. adeoque ad meritum illa non requiri, sed sufficere solam ordinationem, vel promissionem DEI. Sed rectè respondet Gormaz

de merito n. 49. princeps potest etiam valorem tribuere corio, quin propterea tantum valeat, ac aurum; nempe potest princeps tantum augere valorem extrinsecum monetæ, non autem intrinsecum monetæ valorem, aut æstimabilitatem, seu dignitatem; quia per decretum principis non fit perfectius, nec copiosius, aurum, vel aliud metallum. Pariter quidem potest etiam DEUS sua promissione, vel ordinatione, augere, ut ita dicam, valorem extrinsecum operis, ut à se acceptetur, sicut auxit, ut ita dicam, valorem contritionis elicite ab homine in statu peccati: at per hoc non auget intrinsecam operis æstimabilitatem, dignitatem, valorem &c. ut sint æquales præmio: in his autem stat ratio meriti condigni: ergo sola promissio DEI non est ratio, seu forma denominans meritum condignum.

332. Ob. 1. contr. 2. conclusionem. Datur antecedenter ad promissionem DEI demeritum condignum poenæ æternæ, in peccato mortali: ergo etiam potest dari antecedenter ad promissionem DEI meritum condignum vitæ æternæ. Resp. dist. ant. datur demeritum in sensu suprà explicato strictum. conc. ant. strictissimum. subdist. antecedenter ad promissionem formaliter talem. conc. virtualiter talem, seu antecedenter ad determinationem DEI. neg. ant. & conf. DEUS, etsi ratione peccati mortalis accipiat jus infligendi poenas æternas, non tamen obligatur ad eas infligendas, sicut antecedenter ad suam promissionem non obligatur ad præmiandum; unde in eo sensu, in quo accepimus suprà meritum strictissimum, etiam peccatum ex se solo non est strictissime demeritum; quia antecedenter DEUS non obligatur ad puniendum: & sic, ut bene ait Germaz de merit. n. 216. DEUS non acceptat jus puniendi peccata, quæ committunt damnati in inferno, ubi habent libertatem physicam ad multa: nec illa peccata sunt demerita in sensu strictissimo.

Ut tamen DEUS suo modo obligetur ad puniendum, non opus est formali promissione poenæ, sed tantum æquivalenti, nempe acceptatione libera juris ad puniendum, & aliquo decreto efficaci, quo posito, ratione suæ immutabilitatis DEUS necessario peccatum punit. Dices. In hoc casu obligatur saltem peccator ad subeundas poenas, etsi non promittat, se eas subiturum. Resp. Absque dubio peccator ante omnem promissionem obligatur ad subeundas poenas; quia non habet ullum titulum se eximendi, & statim potest à DEO cogi: at verò DEUS habet titulum iustissimum, se eximendi à remuneratione operum nostrorum, scilicet jus supremum in omnia (ut suprà expositum est) nec potest ab ullo necessitari.

333. Ob. 2. Si quis dominus videat operarium in sua vinea laborantem, etsi ipsi non promittat mercedem, tamen tenetur ad eam solvendam: ergo etiam DEUS, videns nostra bona opera, tenebitur antecedenter ad suam promissionem ea præmiare. Confir. Promissio DEI non facit opus dignius, aut maioris valoris, quam antè fuerat: ergo non facit illud strictius meritum. Resp. neg. conf. Dominus videns illum laborantem, utique non intentione gratuita (aliàs negaretur antec.) censetur eum laborem admittere in ordine ad mercedem, & sic tacite, vel interpretative, mercedem promittere; cum nul-

lum habeat jus ad eum laborem imponendum, vel gratis recipiendum. At verò DEUS habet plenum jus, & dominium in nostros labores, adeoque, etsi eos videat, nisi promissione se obliget, non tenetur illos remunerari. Ad confir. neg. conf. Ratio strictior meriti non stat in maiori dignitate, vel valore operis, sed in asserenda maiori obligatione ad præmiandum, quæ in nostro casu, vel maxime oritur ex promissione DEI.

334. Ob. 3. Plures operantes bene agunt, sine omni reflexione, aut cogitatione, de facta promissione DEI, imò cum invincibili ignorantia ejusdem: atqui promissio non obligat, nisi acceptetur, consequenter sciatur: ergo DEUS ita operantibus non obligatur vi suæ promissionis: ergo debet obligari ex ipsa natura solius meriti: aliàs omnino non obligabitur, quod dici non potest. Resp. Vix potest transmitti, quòd fideles ignorent hanc promissionem; cum necessarium sit necessitate medii ad salutem, credere DEUM remuneratorem, qui semper proponitur ut promittens cœlum bene operantibus. Secundò non est necesse, ut quis semper cum actuali reflexione ad hanc promissionem operetur: imò qui eliciant actus purissimi amoris DEI, non operantur intuitu mercedis, & videntur sapere de ea nec cogitare.

Tertiò non videtur necessaria acceptatio promissionis Divinæ; quia DEUS non obligatur à jure, quasi ab homine per acceptationem acquisito, ut fit in humanis, sed à sua immutabili fidelitate, quæ est independens ab acceptatione. Quartò, ut rectè Suarez. p. 3. de grat. l. 12. c. 18. n. 13. notitia, vel acceptatio promissionis, licet fortè sit necessaria in contractibus privatis, tamen non est necessaria in his, quæ per publicam legem statuuntur. Sic, si per legem publicam esset statutum præmium occidenti e. g. tigridem, vel lupum, etsi quis incius illius legis id faceret, præmium mereretur; quia jus ad præmium non dependet ab ejus notitia, sed ab actione per legem determinata: sic etiam multi infideles nesciunt, poenas infernales esse determinatas pro peccato mortali, & tamen eas incurrunt.

Quintò, ut habet idem Eximius eodem loco, datur in omnibus bene operantibus saltem virtualis, ac interpretativa acceptatio, quatenus quilibet sua actione vult sibi procurare bonum, quod potest, quæ acceptatio sufficit. In forma om. interim ma. neg. mi. vel dist. promissio non obligat, nisi acceptetur in contractibus privatis inter homines conc. mi. in iis, quæ statuuntur per legem publicam, subdist. nisi acceptetur virtualiter. om. mi. nisi acceptetur formaliter, & expresse. neg. mi. & utramque consequentiam.

335. Et hæc sufficiat tractasse de merito, non quidem multa, ea tamen omnia, quæ in regionum nostrarum Universitatibus solent tractari: quæque pro speculativa scientia utcumque sufficere poterunt. Qui plura nôsse de meritis cupit, auctores plures inveniet, qui ista prolixius, quam qui brevius tractent. Interim cardo nostræ felicitatis in eo vertitur, ut

speculationibus non contenti, ad praxin bonorum operum, & cumulanda meritorum strenuè incumbamus,